

Nepos' *Life of Hannibal*—By Clause

Each line contains a verbal (verb or participle, explicit or implicit), unless the clause encompasses another clause, in which case the embedded clause begins a new line and is indented. When a clause is too long to fit on a single line, the remainder is right justified. Word groups are clustered whenever possible.

CHAPTER 1 (1) Hannibal, Hamilcaris filius, Karthaginiensis.

Si verum est,

quod nemo dubitat,

ut populus Romanus omnes gentes virtute superarit,

non est infitiandum

Hannibalem tanto praestitisse ceteros imperatores prudentia,

quanto populus Romanus antecedit fortitudine cunctas nationes.

(2) Nam quotienscumque cum eo congressus est in italia,

semper discessit superior.

Quod nisi domi civium suorum invidia debilitatus esset,

Romanos videtur superare potuisse.

Sed multorum obtreectatio devicit unius virtutem.

(3) Hic autem, velut hereditate relictum, odium paternum
erga Romanos sic conservavit,
ut prius animam quam id deposuerit,
qui quidem,
cum patria pulsus esset et alienarum opum indigeret,
numquam destiterit animo bellare cum Romanis.

CHAPTER 2 (1) Nam ut omittam Philippum,

quem absens hostem reddidit Romanis,
omnium iis temporibus potentissimus rex Antiochus fuit.
Hunc tanta cupiditate incendit bellandi,
ut usque a rubro mari arma conatus sit
inferre italiae.

(2) Ad quem cum legati venissent Romani,
qui de eius voluntate explorarent
darentque operam, consiliis clandestinis,
ut Hannibalem in suspensionem regi adducerent,

tamquam ab ipsis corruptus alia atque antea sentiret,

neque id frustra fecissent

idque Hannibal comperisset

seque ab interioribus consiliis segregari

vidisset,

tempore dato

adiit ad regem.

(3) Eique cum multa de fide sua et odio in Romanos commemorasset,

hoc adiunxit:

"Pater meus" inquit "Hamilcar

puerulo me,

utpote non amplius novem annos nato, in Hispaniam imperator proficiscens,

Karthagine Iovi optimo maximo hostias immolavit.

(4) Quae divina res dum conficiebatur,

quaesivit a me,

vellemne

secum in castra proficisci.

Id cum libenter accepissem
atque ab eo petere
coepissem,
ne dubitaret
ducere,
tum ille 'Faciam', inquit
'si mihi fidem, quam postulo, dederis.'
Simul me ad aram adduxit,
apud quam sacrificare
instituerat,
eamque
ceteris remotis
tenentem iurare
iussit
numquam me in amicitia cum Romanis fore.

(5) Id ego ius iurandum patri datum usque ad hanc aetatem ita conservavi,
ut nemini dubium esse
debeat,

quin reliquo tempore eadem mente sim futurus.

(6) Quare,

si quid amice de Romanis cogitabis,

non imprudenter feceris,

si me celaris;

cum quidem bellum parabis,

te ipsum frustraberis,

si non me in eo principem posueris."

CHAPTER 3 (1) Hac igitur,

qua diximus,

aetate cum patre in Hispaniam profectus est.

Cuius post obitum,

Hasdrubale imperatore suffecto,

equitatu omni praefuit.

Hoc quoque interfecto,

exercitus summam imperii ad eum detulit.

Id Karthaginem delatum publice comprobatum est.

(2) Sic Hannibal,

minor quinque et viginti annis natus

imperator factus,

proximo triennio omnes gentes Hispaniae bello subegit;

Saguntum, foederatam civitatem, vi expugnavit;

tres exercitus maximos comparavit.

(3) Ex his unum in africanam misit,

alterum cum Hasdrubale fratre in Hispania reliquit,

tertium in italianam secum duxit.

Saltum Pyrenaeum transit.

Quaecumque iter fecit,

cum omnibus incolis conflixit:

neminem nisi victum dimisit.

(4) Ad Alpes posteaquam venit,
quae italiam ab Gallia seiungunt,
quas nemo umquam cum exercitu ante eum
praeter Herculem Graium transierat,
quo facto is hodie saltus Graius appellatur,
Alpicos conantes prohibere transitu
concidit;
loca patefecit,
itinera muniit,
effecit,
ut ea elephantus ornatus ire
posset,
qua antea unus homo inermis vix poterat
reperere.
Hac copias traduxit
in italiamque pervenit.

CHAPTER 4 (1) Confluxerat apud Rhodanum cum P. Cornelio Scipione consule
eumque pepulerat.

Cum hoc eodem Clastidi apud Padum decernit
sauciumque inde ac fugatum dimittit.

(2) Tertio idem Scipio cum collega Tiberio Longo apud Trebiam
adversus eum venit.

Cum his manum conseruit,
utrosque profligavit.

Inde per Ligures Appenninum transiit,
petens Etruriam.

(3) Hoc itinere adeo gravi morbo adficitur oculorum,
ut postea numquam dextro aeque bene usus sit.

Qua valetudine cum etiam tum premeretur
lecticaque ferretur,

C. Flaminium consulem apud Trasumenum cum exercitu insidiis
circumventum occidit,

neque multo post C. Centenium praetorem cum delecta manu
saltus occupantem.

Hinc in apuliam pervenit.

(4) Ibi obviam ei venerunt duo consules, C. Terentius et L. Aemilius.

Utriusque exercitus uno proelio fugavit,

Paulum consulem occidit

et aliquot praeterea consulares, in his Cn. Servilium Geminum,

qui superiore anno fuerat consul.

CHAPTER 5 (1) Hac pugna pugnata,

Romam profectus

nullo resistente.

In propinquis urbi montibus moratus est.

Cum aliquot ibi dies castra habuisset

et Capuam reverteretur,

Q. Fabius Maximus, dictator Romanus, in agro Falerno ei se obiecit.

(2) Hic,

clausus locorum angustiis,

noctu sine ullo detrimento exercitus se expedivit;

Fabioque, callidissimo imperatori, dedit verba.

Namque,

obducta nocte,

sarmenta in cornibus iuvenorum deligata

incendit

eiusque generis multitudinem magnam dispartitam

immisit.

Quo repentino obiecto visu

tantum terrorem iniecit exercitui Romanorum,

ut egredi extra vallum

nemo sit ausus.

(3) Hanc post rem gestam

non ita multis diebus M. Minucium Rufum, magistrum equitum

pari ac dictatorem imperio, dolo productum in proelium,

fugavit.

Ti. Sempronium Gracchum, iterum consulem, in Lucanis absens

in insidias inductum

sustulit.

M. Claudium Marcellum, quinquens consulem, apud Venusiam pari modo
interfecit.

(4) Longum est

omnia enumerare proelia.

Qua re hoc unum satis erit dictum,

ex quo intellegi possit,

quantus ille fuerit:

quamdiu in italia fuit, nemo ei in acie restitit,

nemo adversus eum post Cannensem pugnam in campo castra posuit.

CHAPTER 6 (1) Hinc invictus patriam defensum revocatus,

bellum gessit adversus P. Scipionem, filium eius,

quem ipse primo apud Rhodanum, iterum apud Padum,

tertio apud Trebiam fugarat.

(2) Cum hoc,

exhaustis iam patriae facultatibus,

cupivit

impraesentiarum bellum componere,

quo valentior postea congregaretur.

In colloquium convenit;

condiciones non convenerunt.

(3) Post id factum paucis diebus apud Zamam cum eodem confluxit:

pulsus — incredibile dictu — biduo et duabus noctibus

Hadrumetum pervenit,

quod abest ab Zama circiter milia passuum trecenta.

(4) In hac fuga, Numidae,

qui simul cum eo ex acie excesserant,

insidiati sunt ei;

quos non solum effugit,

sed etiam ipsos oppressit.

Hadrumeti reliquos e fuga collegit;

novis dilectibus paucis diebus multos contraxit.

CHAPTER 7 (1) Cum in apparando acerrime esset occupatus,

Karthaginienses bellum cum Romanis composuerunt.

Ille nihilo setius exercitui postea praefuit

resque in africa gessit usque ad P. Sulpicium C. Aurelium consules.

(2) His enim magistratibus

legati Karthaginienses Romam venerunt,

qui senatui populoque Romano gratias agerent,

quod cum iis pacem fecissent,

ob eamque rem corona aurea eos donarent

simulque peterent,

ut obsides eorum Fregellis essent

captivique redderentur.

(3) is ex senatus consulto responsum est:

munus eorum gratum acceptumque esse;

obsides, quo loco rogarent, futuros;

captivos non remissuros,

quod Hannibalem, cuius opera susceptum bellum foret,

inimicissimum nomini Romano,

etiam nunc cum imperio apud exercitum haberent
itemque fratrem eius Magonem.

(4) Hoc responso Karthaginienses cognito,
Hannibalem domum et Magonem revocarunt.

Huc ut rediit,

rex factus est,

postquam praetor fuerat anno secundo et vicesimo.

Ut enim Romae consules,

sic Karthagine quotannis annui bini reges creabantur.

(5) In eo magistratu pari diligentia se Hannibal praebuit,

ac fuerat in bello.

Namque effecit,

ex novis vectigalibus non solum ut esset pecunia,

quae Romanis ex foedere penderetur,

sed etiam superesset,

quae in aerario reponeretur.

(6) Deinde M. Claudio L. Furio consulibus,

Roma legati Karthaginem venerunt.

Hos Hannibal ratus sui exposcendi gratia missos,

priusquam iis senatus daretur,

navem ascendit clam

atque in Syriam ad Antiochum perfugit.

(7) hac re palam facta

Poeni naves duas,

quae eum comprehenderent,

si possent

consequi,

miserunt,

bona eius publicarunt,

domum a fundamentis disiecerunt,

ipsum exsulem iudicarunt.

CHAPTER 8 (1) At Hannibal anno tertio, postquam domo profugerat,

L. Cornelio Q. Minucio consulibus,

cum quinque navibus africam accessit

in finibus Cyrenaeorum,

si forte Karthaginienses ad bellum Antiochi spe fiduciaque inducere
posset,

cui iam persuaserat,

ut cum exercitibus in Italiam proficisceretur.

Huc Magonem fratrem excivit.

(2) Id ubi Poeni resciverunt,

Magonem eadem, qua fratrem, absentem affecerunt poena.

Illi,

desperatis rebus,

cum solvissent naves

ac vela ventis dedissent,

Hannibal ad Antiochum pervenit.

De Magonis interitu duplex memoria prodita est.

Namque alii naufragio, alii a servulis ipsius interfectum eum

scriptum reliquerunt.

(3) Antiochus autem,

si tam in agendo bello consiliis eius parere voluisset,
quam in suscipiendo instituerat,
propius Tiberi quam Thermopylis de summa imperii dimicasset.
Quem etsi multa stulte conari
videbat,
tamen nulla deseruit in re.

(4) Praefuit paucis navibus,

quas ex Syria iussus erat in asiam ducere,
iisque adversus Rhodiorum classem in Pamphylio mari confluxit.
Quo cum multitudine adversariorum sui superarentur,
ipse,
quo cornu rem gessit,
fuit superior.

CHAPTER 9 (1) Antiocho fugato,

verens

ne dederetur,

quod sine dubio accidisset,

si sui fecisset potestatem,

Cretam ad Gortynios venit,

ut ibi,

quo se conferret,

consideraret.

(2) Vidit autem vir omnium callidissimus in magno se fore periculo,

nisi quid providisset, propter avaritiam Cretensium.

Magnam enim secum pecuniam portabat,

de qua sciebat

exisse famam.

(3) Itaque capit tale consilium.

Amphoras complures complet plumbo,

summas operit auro et argento.

Has,

praesentibus principibus,

deponit in templo Dianae,

simulans

se suas fortunas illorum fidei credere.

His in errorem inductis,

statuas aeneas,

quas secum portabat,

omni sua pecunia complet

easque in propatulo domi abicit.

(4) Gortynii templum magna cura custodiunt,

non tam a ceteris quam ab Hannibale,

ne ille,

inscientibus iis,

tolleret

secumque duceret.

CHAPTER 10 (1) Sic conservatis suis rebus,

Poenus,

illusis Cretensibus omnibus,

ad Prusiam in Pontum pervenit.

Apud quem eodem animo fuit erga italiam

neque aliud quicquam egit quam regem armavit

et exercuit adversus Romanos.

(2) Quem cum videret

domesticis opibus minus esse robustum,

conciliabat ceteros reges,

adiungebat bellicosas nationes.

Dissidebat ab eo Pergamenus rex Eumenes, Romanis amicissimus,

bellumque inter eos gerebatur et mari et terra.

(3) sed utrobique Eumenes plus valebat propter Romanorum societatem.

Quo magis cupiebat

eum Hannibal opprimi;

quem si removisset, faciliora sibi cetera fore arbitratur.

Ad hunc interficiendum talem iniit rationem.

(4) Classe paucis diebus erant decreturi.

Superabatur navium multitudine;

dolo erat pugnandum,

cum par non esset armis.

Imperavit

quam plurimas venenatas serpentes vivas colligi

easque in vasa fictilia conici.

(5) Harum cum effecisset magnam multitudinem, die ipso,

quo facturus erat navale proelium,

classarios convocat

iisque praecipit,

omnes ut in unam Eumenis regis concurrant navem,

a ceteris tantum satis habeant se defendere.

Id illos facile serpentium multitudine consecuturos.

(6) Rex autem in qua nave veheretur, ut scirent, se facturum.

Quem si aut cepissent

aut interfecissent,
magno iis pollicetur praemio fore.

CHAPTER 11 (1) Tali cohortatione militum facta,

classis ab utrisque in proelium deducitur.

Quarum acie constituta,

priusquam signum pugnae daretur,

Hannibal,

ut palam faceret suis,

quo loco Eumenes esset,

tabellarium in scapha cum caduceo mittit.

(2) Qui ubi ad naves adversariorum pervenit

epistulamque ostendens,

se regem professus est quaerere,

statim ad Eumenem deductus est,

quod nemo dubitabat,

quin aliquid de pace esset scriptum.

Tabellarius,

ducis nave declarata suis,
eodem,
unde erat egressus,
se recepit.

(3) At Eumenes,

soluta epistula,
nihil in ea repperit,
nisi quae ad irridendum eum pertinerent.
Cuius etsi causam mirabatur
neque reperiēbat,
tamen proelium statim committere
non dubitavit.

(4) Horum in concursu Bithynii Hannibalis praecepto universi
navem Eumenis adoriuntur.

Quorum vim rex cum sustinere
non posset,
fuga salutem petiit;
quam consecutus non esset,

nisi intra sua praesidia se recepisset,
quae in proximo litore erant conlocata.

(5) Reliquae Pergamenae naves

cum adversarios premerent acrius,
repente in eas vasa fictilia,
de quibus supra mentionem fecimus,
conici
coepta sunt.

Quae iacta initio risum pugnantibus concitarunt,
neque,
qua re id fieret,
poterat
intellegi.

(6) Postquam autem naves suas oppletas conspexerunt serpentibus,
nova re perterriti,
cum,
quid potissimum vitarent,

non viderent,

puppes verterunt

seque ad sua castra nautica rettulerunt.

(7) Sic Hannibal consilio arma Pergamenorum superavit,

neque tum solum, sed saepe alias pedestribus copiis pari prudentia

pepulit adversarios.

CHAPTER 12 (1) Quae dum in asia geruntur,

accidit casu,

ut legati Prusiae Romae apud T. Quinctium Flamininum consularem

cenarent,

atque ibi de Hannibale mentione facta,

ex iis unus diceret

eum in Prusiae regno esse.

(2) Id postero die Flamininus senatui detulit.

Patres conscripti,

qui

Hannibale vivo

numquam se sine insidiis futuros
existimarent,
legatos in Bithyniam miserunt,
in iis Flaminium,
qui ab rege peterent,
ne inimicissimum suum secum
haberet
sibique dederet.
(3) His Prusias negare
ausus non est:
illud recusavit,
ne id a se fieri
postularent,
quod adversus ius hospitii esset:
ipsi,
si possent,
comprehenderent;

locum,

ubi esset,

facile inventuros.

Hannibal enim uno loco se tenebat, in castello,

quod ei a rege datum erat muneri,

idque sic aedificarat,

ut in omnibus partibus aedificii exitus haberet,

scilicet verens,

ne usu veniret,

quod accidit.

(4) Huc cum legati Romanorum venissent

ac multitudine domum eius circumdedissent,

puer,

ab ianua prospiciens,

Hannibali dixit

plures praeter consuetudinem armatos apparere.

Qui imperavit ei,

ut omnes fores aedificii circumiret
ac propere sibi nuntiaret,
num eodem modo undique obsideretur.

(5) Puer cum celeriter,

quid esset,

renuntiasset

omnisque exitus occupatos ostendisset,

sensit id non fortuito factum,

sed se peti

neque sibi diutius vitam esse retinendam.

Quam ne alieno arbitrio dimitteret,

memor pristinarum virtutum, venenum, quod semper secum habere

consuerat,

sumpsit.

CHAPTER 13 (1) Sic vir fortissimus,

multis variisque perfunctus laboribus,

anno acquievit septuagesimo.

Quibus consulibus interierit,

non convenit.

Namque Atticus M. Claudio Marcello Q. Fabio Labeone consulibus mortuum

in Annali suo scriptum reliquit,

at Polybius L. Aemilio Paulo Cn. Baebio Tamphilo,

Sulpicius autem Blitho P. Cornelio Cethego M. Baebio Tamphilo.

(2) Atque hic tantus vir tantisque bellis districtus

non nihil temporis tribuit litteris.

Namque aliquot eius libri sunt,

Graeco sermone confecti,

in iis ad Rhodios de Cn. Manlii Volsonis in asia rebus gestis.

(3) Huius belli gesta multi memoriae prodiderunt,

sed ex iis duo,

qui cum eo in castris fuerunt

simulque vixerunt,

quam diu fortuna passa est,

Silenus et Sosylus Lacedaemonius.

Atque hoc Sosylo Hannibal litterarum Graecarum usus est doctore.

(4) Sed nos tempus est huius libri facere finem

et Romanorum explicare imperatores,

quo facilius,

collatis utrorumque factis,

qui viri praeferendi sint,

possit

iudicari.